

1 *Sic appellati.*) De voce ipsa, qua hæc hæresis nominatur, dubia est analogia. Alii enim Cainos vocant, vt Theodoretus libro 1. alii Cainianos: alii Cainæos, vt Tertullianus: alii Caianos, vti Epiphanius his verbis, *Καϊννοί τινες ὀνομάζονται, ἀπὸ τοῦ καϊν ἡλθότες τὴν ἐπωνυμίαν τῆς αἵρέσεως*, & Epiphaniū sequi gaudens Augustinus, quæ nominis formatio & nomenclatura minimè omnium mihi probatur. Et facilè ex voce *Καϊννοί* vel *Καϊνοί* in *Καϊανοί* lapsus & error in Epiphanio primùm à scribis & librariis admissus est, qui postea ab Augustino retentus fuit. A voce autem Cain nullæ Grammaticorum regulæ ferunt vt Caianos deriuemus & dicamus, sed potius Cainos, vel Cainianos. Et hæc quidem de huius hæreseos appellatione, quam hic in Augustino correximus, ne vulgarem descriptionem à nobis mutatam esse vel miretur vel improbet quisquam. Alii enim sunt ab istis & diuersi Caiani hæretici, qui idem, vt scribit Iohannes Damascenus Aphtartodocitæ dicti sunt, nostris posteriores, & à Caiano Alexandrino, & Iuliano Halicarnasseo profecti, de quibus vide in Proclianitis. Dicti sunt autem Caini non ab authore sectæ, sed ab argumento erroris, quem sunt secuti, quia Cainum illum, de quo est Genes. 4. tanquam primum & principem bonorum omnium quæ homines sentiunt, authorem colunt, & postea alios, in quos Dei iudicia tanquam in reprobos homines apertè in Sacra scriptura legimus, qualis est Esau, Malach. 1. Hebr. 12. versu 16. quales Core, Dathan, & Abiron, Numer. 16. versu 26, qualis denique impius ille Iudas Iscariotes, quem Caini vti salutis humanæ dispensa-